



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Martyrivm SS. Agricolae Et Vitalis: Ex D. Ambrisi Adhortatione ad Virgines.  
a Paßi sunt Anno Christi 303. Marcel. Pap. 7. Dioclet. & Max. Imp. 20.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

manantem, & petras sanguine adspersas vidē-  
 tes, ad pedes beati Beunoī se abiecerunt, & sa-  
 cro latice expiati sunt. Tandem autē sanctissi-  
 ma virgo accepto ab eodem viro Dei sacro ve-  
 lamine nobilium virgines cōgregavit, easque  
 castissimis moribus diligenter imbuit, & san-  
 ctioris disciplinæ amore incensas, Christi ser-  
 vitio mancipavit. Defuncto autem beato Beu-  
 noo, VVenefrida diuinitus admonita, ad locū,  
 quem VVithericum vocant, accessit, vbi ab  
 Abbate Elerio, multis virtutibus ornato, &  
 caelestibus rebus tota mente intento, reue-  
 renter excepta, & in virginum monasterium  
 introducta fuit: quarum deinceps curam ha-  
 buit. Ibi sanè quisquis ad illam æger accessis-  
 set, incolumis ab ea recessit: mœrentes omnes  
 animi lætitiā reportârunt. Tandem nocte  
 quadam oranti Iesus Christus apparuit,  
 indicavitque propediem ipsam è corpore de-  
 cessuram. Itaque quarto Nonas Nouemb. ple-  
 na virtutibus & operibus bonis, spiritum Deo  
 reddidit: sepultaque est iuxta sanctum Che-  
 beam & Senanum: vbi, inter alia miracula, fa-  
 bri cuiusdam filia ab ipso ortu cæca, lumen re-  
 cepisse memoratur. Ceterum anno Christi 1138.  
 sacræ eius reliquiæ Solopiam in monachorum  
 monasterium translatae sunt.

*Instituit mo-  
 nasterium S.  
 VVenefrida.*

*S. VVenefri-  
 da proficitur  
 virginibus,  
 & claret  
 miraculis.*

*Feliciter mi-  
 grat ad Do-  
 minum.*

*Tumulus e-  
 ius miracu-  
 lus celebris.*

*Translatio  
 reliquiarum  
 eius.*

MARTYRIVM SS. AGRICOLAE ET  
 Vitalis: Ex D. Ambrosii Adhortatione ad Vir-  
 gines. a Passi sunt Anno Christi 303. Marcel.  
 Pap. 7. Dioclet. & Max. Imp. 20.

*a Teste C.  
 Baron. Tom.  
 2. Annal.  
 Vide &  
 Notat. ad  
 Martyr.  
 Roman.*

Dd 4

AGRI-  
 Roman.



4. Nouēb.  
Vitalis ser-  
uus agrico-  
la, omne ge-  
nū tormento-  
rum ex-  
pertus mo-  
ritur.

Quanta S.  
Agricolae  
morum inte-  
gritas.

S. Agricola  
crucifigitur.

Translatio  
reliquiarum  
eorundem.

Vide Not. C.  
Baron in  
Martyr.  
Rom.

**A**GRICOLA, cui Vitalis ante seruum, postea confors & collega martyrij fuit, apud Bononiā Italiae urbem pro Christi nomine egregiè decertarunt. Vitalis enim cum à persecutoribus, vt Christum negaret, vehementius vrgeretur, ille in confessione fortior factus, omnia tormentorum genera in corpore suo expertus est, vt ne minimus quidem locus sanitati relictus esset. Totus itaque vulneribus concisus; fusa ad Christū oratione emisit spiritum.

Sanctum verò Agricolā, quòd moribus mētissimus esset, non continuò ad cruciatum abripuerunt; sed serui supplicio terrere voluerunt; erat enim tantis tamque præclaris ornatus virtutibus, vt ab ipsis etiam inimicis diligerecur. Sed hæc persecutorum honorificentia, omni erat immanitate acerbior; vt potè quæ martyrium inuidebat. Deniq; cum vir sanctus fraudulentis eorum blanditijs non acquiesceret, sed serui sui constantia & virtute animatus eadem martyrij gloriam sitiret; in crucem sublatu gloriose triumpho è corpore ad cælos migravit. Horum reliquias multo post tempore Namatius Aruernorum Episcopus in Gallias transtulit.

VITA S. EMERICI B. STEPHANI

Hungarorum Regis filij. Ex ea quam V. P. Laurent. Sur. descripsit. Obijt Anno Domini 1032. Consentit Bonfinius de rebus Hungaricis, Dec. 2. Lib. 2. Relatus est inter sanctos vna cum S. Stephano Rege eius Patre, à Benedicto Papa octauo, qui dictus est nonus.

Beatus